

Jakob Carmon

Programma Rectoris Academiae Rostochiensis, Jacobi Carmon, Ph. & U. J. Doct. Pand. Prof. Ducal. Publ. Ord. ... Qvo de Natura Sanctorum Angelorum disserit, In Festo S. Michaelis ceu vulgo dicitur, Civibus Academicis P. P.

Rostochii: Tipis Joh. Jacob. Adleri, [1722?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004001320>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1722. Michael.

~~A-1256. 174.~~

M. 1722


POGRAMMA
RECTORIS ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
JACOBI CARMON,
Ph. & U. J. Doct. Pand. Prof. Ducal. Publ. Ord. Sereniff.
Ducis Regnantis Mecklenburg. Confiliariū
Consiftorialis,

QVO
de
**NATURA SANCTORUM
ANGELORUM**

differit,
In



FESTO
S. MICHAELIS,
ceu vulgo dicitur,
CIVIBUS ACADEMICIS
P. P.



ROSTOCHII,
Typis JOH. JACOB. ADLERII, SER. PRINC. & ACAD. Typogr.

M. 1256 174



Uod naturalibus etiam in rebus, sensui nostro quidem, haud tamen adeo clare, expositis, contingere solet, ut varias illæ contrariasque non raro in animis hominum opiniones pariant, id ipsum in rebus extra Naturæ sphaeram positis evenire, quid mirum? Caligant oculi sæpè in sole, nec mens omnia semper penetrat,

quæ sensibus percipiuntur, densis illius lumini tenebris obductis. Ecquid lumine magis coloribusve oculis nostris illabitur? Et tamen mentes videntium plerorumque tanta obfuscavit caligo, ut, quæ sit illorum natura, perspicere non valeant, pauci obscuris umbris tectam eandem prospectent. Anima essentialis, & ea quidem, per quam homines sumus, à ceteris viventium generibus distincti, nostra pars est: at quam tenuem illius scientiam habere nobis concessum? quot non quamque diversæ de ea animalium sententiæ reperiuntur, ut, hominem sæpè, quid homo sit, nescire, dixeris, verumque maneat illius, nescio cuius, effatum: Disputamus de Anima, donec examines fiamus. Quod cum in rebus nos non solum externè circumstantibus atque in sensus vel omni horâ, ne dicam momento, incurrentibus, sed & intrinsicè ingredientibus, imò nos ipsos eos, qui sumus, constituentibus fit; conjectu facile erit, quid sperandum in iis, quæ extra nos non modò posita, & sensibus impervia sunt, sed ipsam etiam Naturam excedunt, lumini Naturæ rationique sibi relictæ incognoscibilia. Non dicam nunc de divinis, intellectum finitum infinities transcendentibus mysteriis, de quibus quam varias, quam falsas, quam ineptas sæpè opiniones animis suis non obrepere solum, sed & tenaciùs inharere passim sint homines, queis stultam suam rationem potius, quam veracissimum DEum in Verbo suo loquentem, audire ac Ducem sequi volupe, ignotum erit nemini, nisi qui rerum in Ecclesiâ Christianâ, inde à primo ejus exordio in hunc usque diem gestarum prorsus penitusque fuerit ignarus. Ita nimirum est: *Animalis homo*, dicente **I. Cor. II. 14.** Apostolo, *non suscipit ea, quæ sunt Spiritus DEI: stultitia enim illi sunt, & non potest intelligere, quia spiritualiter dijudicantur.* Inde tam multæ sunt exortæ hæreses, quibuscum veritati colluctandum semper ac confistendum fuit. Sed de his alii dicant: nobis isti duntaxat materiæ inhæ-

inhæsuris, quam hodiernus dies suppeditat, unde hæc ad Vos ;
CIVES ACADEMICI HONORATISSIMI! quantum negotiorum
moles & temporis angustia permittunt, exarandi enata occasio est.
Celebramus etenim, quæ Numinis gratia est, nunc iterum Fe-
stum sanctorum Angelorum, quo & beneficiorum divinorum, il-
lorum ministerio in nos collatorum, recordamur, & officiorum
nostrorum, tum erga DEum, Angelorum Dominum, tum erga hos,
illius ministros, admonemur. Sed juvat etiam, eorum in natu-
ram inquisivisse, quò constet, qui & quales sint, à quibus, DEI
jussu, tot insignia, tamque ingentia in nos bona redundant. Quis
namque beneficiarius benefactorem suum penitus novisse non
desideraret? At arduum sic satis in nos negotium suscipere nobis
videmur, cum Angeli eorum ex numero sint, quæ sensum visus
fugiunt, istis annumerandi rebus, quæ, invisibilitate suâ, varias in
hominum cerebellis de suâ naturâ & constitutione sententias pe-
perere. Fuerunt, qui, Angelos nil nisi mera entia rationis atque
figmenta esse, reputarunt, quemadmodum de Atheis, divina
quælibet atque spiritualia ludibrio habentibus, constat, deque
Sadducæis, quod, non esse resurrectionem, neque Angelum, ne-
que Spiritum, dixerint, sanctissimus Codex *Act. XXIII. 8.* refert.
Ubi quidem, si solum sibi relictum Naturæ lumen excutere velle-
mus, diffidendum non foret, nullum in eo solidam inveniri ratio-
nem, quæ Angelorum existentiam, ad convictionem usque ani-
morum eam negantium, demonstrare valeret. Quantumlibet
enim haud improbabilia pro eâdem argumenta Philosophiæ sup-
petant, licet etiam sat multi pro eâ apodicticè probandâ desuda-
verint; non tamen in totâ naturâ occurret argumentum, quod
contradicentes convincere prorsus valeat, ut potius in promptu
sint, quæ contrâ, non sine probabilitate, excipi possint. At verò,
principium, ex quo Angeli sunt cognoscendi, non Naturæ Lu-
men est, sed infallibilis revelatio divina. Est Articulus de Ange-
lis non mixtus, ceu distinguere Theologi solent, sed purus. Adeo-
que non scimus quidem per demonstrationem existentiam Ange-
lorum, attamen firmissimè credimus ob infallibile Scripturæ testi-
monium. Quod cum ipsius veracissimi DEI, quem nec falli omnisci-
entia, nec fallere sanctitas infinita permittit, testimonium sit, fidem
in nobis gignit certissimam, omni ab apodicticis naturalibus argu-
mentis dependente cognitione certiozem. Nec est, ut invisibilitas
eorum contrâ urgeatur. Num enim alia nulla dantur, quam quæ
oculis

oculis cerni possunt? An DEum nobiscum statuis necessario existentem? At, lucem ipse inhabitat inaccessibilem, quem vidit nullus hominum, neque videre potest, *1. Tim. VI. 16. coll. Exod. XXXIII. 20.* Sed quid infinitum DEum commemoro? In aëre mecum versaris, teipsum ille non minus, ac alia corpora, circumdat, & eum tete quotidie haurire sentis. Dic autem, quaeso, an circumstantem te, imò hoc ipsum tuum corpus, non subtiliter tantum per poros cutis, sed majori mensurâ per os atque nares ingredientem unquam videri? Describas, velim, figuram ejus partiumque dispositionem: quæ illi facies? quo colore imbutus? Quod nisi præstiteris, fatebere, non ideò negandos Angelos esse, quod nunquam eos videris, vel visu sentire possis. Perperam quoque id propter, Angelos non nisi phantasmata esse, aut imagines rerum in phantasiâ hominum à Deo formatas, quidam confinxere. Thomam Hobbesium, de quo Rex Angliæ Sorberio dixisse fertur, se instar urfi eodem uti ad molosso- rum dentes tentandos & acuendos, hominem per versarum opinio- num, istud mundo persuadere conatum fuisse, ex illius, ut inscribi- tur, *Leviathan Cap. 34.* clarum est. *De creatione Angelorum*, scribit, in *Scripturis sacris disertis verbis nihil traditur. Scriptores igitur Ecclesiastici de Natura Angelorum dissentiant. Veterum autem Patrum aliquot eminentis- simi corporeos esse putaverunt, alii nonnulli incorporeos: Vocantur passim in Scripturis Spiritus: Sed spiritus tum à Scriptoribus Judæis tum græcis modò corpora subtilia, ut aër, ventus, spiritusque animalium, modò Phantasmata existimantur; quæ nec realia sunt nec diutius permanent, quam somnium & visio, in qua apparent. Quæ phantasmata sive apparitiones etsi substantiæ non sint, sed accidentiæ organorum sentiendi, quando tamen à DEo ad volun- tatem suam significandam supernaturaliter producuntur, non impropie nuncii à DEo, i. e. Angeli appellantur. Hinc in plerisque locis Veteris Testamenti, ubi Angelorum fit mentio, per Angelum significari, ait, tantum ideam ali- quam in phantasia à DEo excitatam. Non enim formam, sed usum facere Angelum: Usus autem eorum esse, ut præsentiam divinam in divinis ope- ribus hominibus significant. Sic v. g. Angelus *Gen. 16.* Hagar, ancillæ Sarai, apparens nihil aliud illi significat, quam apparitionem di- vinam, per vocem è cœlo præsentiam DEI testantem extraordina- riam. Angelum Abrahamo filium Isaacum immolaturò apparen- tem nil nisi vocem fuisse dicit, Angelum ideo appellatam, quo- niam eadem Abrahamo nunciatum, ne filium interficeret. Cujus- modi plures expositiones dicam, an detorsiones? dictorum Scri- pturæ excerptas exhibet Gisbert. Cocqvius *Anatom. Hobbesian. Loc. IIX,**

IIX. Cap. 15 Fallor, aut ab Anabaptistis has *Φλαυρίας* Hobbesius
 hausit, quos constat Angelos pro meris operationibus DEI circa ge-
 nus humanum habuisse, ita ut, si bona DEUS hominibus conferret,
 bonus; sin puniendo inferret mala, malus Angelus dicendæ hæ o-
 perationes essent. Non est prolixum erroris hujus examen hæc
 chartula permissura, quin paucis tantum dicere liceat, falli ac fal-
 lere vehementer, qui, nihil de creatione Angelorum in Sacro Scri-
 pturarum Codice disertis verbis traditum reperiri, opinantur nobis-
 que persuadere cupiunt. Afferit ac probat creationem illorum
Psalmus CIV. 4. Licet enim aliqui putent, locum hunc de Angelis
 quidem propriè dictis, haud verò de eorum creatione loqui, aut
 intelligi posse; non tamen de eo, optimus namque Scripturæ in-
 terpres ipsa Scriptura est, dubitare nos finit *Epistola ad Ebraeos I. 7. 8.*
 ubi Filius DEI cum Angelis comparatur, illius aternitate, horum
 autem creatione assertâ, citato loco nostro, *Psalm. CIV. 4.* Et *Col.*
I. 16. creata in Christo dicuntur omnia, quæ in cælis, & quæ super
 terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes,
 sive principatus, sive potestates: quibus Angelos deno-
 tari, nemini, credo, dubium erit. Ac utut Moses in
 Historia creationis Angelos non nominet; sub alio tamen no-
 mine creationem illorum indicare rectè creditur, quando *Gen. II. 1.*
 exercitus cælorum creando absolutos dicit. Quinam enim exercitus
 sint cælorum, ex *Luc. II. 13.* patet, nimirum Angeli. Substantias au-
 tem ipsos atque supposita esse, ex operationibus illorum cuilibet pa-
 tere potest manifestissimè. Agere suppositorum est, non phantasma-
 tum aut imaginum potentiæ cognoscitivæ impressarum, quæ in sub-
 jecto, ceu accidentia, recipiuntur. At Angelis tales, quæ non nisi
 substantiarum esse queunt, actiones adscribi, cuinam, nisi Scriptu-
 ram penitus ignoranti, potest ignotum esse? Dicuntur DEUM lau-
 dare, *Es. VI. 3.* adorare eum, *Ebr. I. 6.* cognoscere multivariam sapi-
 entiam DEI, *Eph. III. 10.* castra metari circa timentes DEUM, & eripere
 eos, *Pf. XXXIV. 8.* custodire hominem in DEO confidentem in omni-
 bus viis suis, & opem præstare ad declinandum malum, *Pf. XCI. II. 12.*
 portare animas in sinum Abrahamæ, *Luc. XVI. 22.* & Paulus *1. Tim. V. 21.*
 Timotheum, sollicitudinis in munere sancto prolixè monitum, per
 conspectum electorum Angelorum obtestatur: quæ omnia quis
 phantasmatis aut imaginationibus menti impressis adscribere au-
 dit? Taceo, jam ante hominem Angelos exstitisse: qui ergo, non nisi
 hominum in phantasiâ generari, dici poterunt? Haud facile quem-
 piam

piam fugere, autumo, Angeli nomen, si derivationem ejus & originem inspectes, nuncium seu legatum denotare, adeoque officii nomen esse; attamen & nomen naturæ ipsam esse, spiritus finitos completos denotans, certissimum est. De quo dubitare præcipuè nos non finit locus *Ebr. II. 16.* Comparantur enim Angeli cum hominibus, quorum naturam Filius DEI assumpsit: Non autem ille phantasma quodpiam assumpturus erat, quod ne quidem monere Apostolo opus fuisset, nec ulla est phantasmata inter hominesque, quoad naturam, comparatio. Ut igitur frustra dicatur, *non formam, sed usum facere Angelum.* Quemadmodum etiam falsum est, usum Angelorum tantum esse, *presentiam divinam in divinis operibus hominibus significare.* Nam multas alias eorum circa DEUM pariter atque homines functiones esse, ex paulo ante dictis sole meridiano clariùs elucescit, unde generatim omnes dicuntur *Spiritus ministratorii, in ministerium emissi propter eos, qui hereditaturi sunt salutem, Ebr. I. 14.* Sed & hoc dictum aliam nobis de naturâ Angelorum erroneam sententiam in memoriam revocat. Fuere nimirum, suntque hodiernum, qui corpora illis subtilia tribuunt, spiritus eosdem, i. e. substantias immateriales esse, negantes. Scio equidem, spiritus vocabulo nonnunquam, præsertim Physicis, corpora materiâ subtilissimâ constantia denotari, quemadmodum & ventus *Job. III. 8.* spiritus vocatur. At nobis Angeli sunt spiritus in significatione metaphysica, qui & Scholasticis dicuntur actus puri, quantumvis non simpliciter, secundum quid tamen, non quod omnem omninò potentiam passivam excludant, sed quod omnino omninò, non crassioris solum corporeæ molis, sed & subtilissimæ materiæ sint expertes. Hoc vero Pythagoræis olim atque Platoniceis negatum legimus, qui vel ignea, vel aërea vel cœlestia Angelis corpora tribuerunt. Cumque plurimi præcorum Patrum Platonicâ quondam Philosophiâ imbuti fuerunt, factum inde haud dubiè est, quod & eorum non pauci Angelos corporeos statuerint, ut non æque cum illis faciant, cœlestia, aetherea, aliave, attamen rarissima subtilissimaque corpora iisdem assignando. Quidam horum definire non ausi reperiuntur, num profus incorporei sint Angeli, an vero corpora habeant? Alii distinguere se coactos viderunt, ut dicerent, in comparatione cum DEO, ente absolute simplicissimo, corporeos Angelos esse, in comparatione verò nobiscum spiritus & incorporeos. Et hos etiam Scholasticorum quidam, ob nimium multum apud eos valentem Patrum autoritatem

tem sequuti videntur. Ne verò putes, à folis illis Veteribus in-
materiale Angelorum essentiam negatam fuisse, non alienus ist-
hac à sententiâ est Zanchius *Lib. de Operib. DE* in *tra spatium sex dierum*
creatis Part. I. Lib. II. cap. 3. causatus, nullam se videre rationem
firmam, quæ evincat, Angelos simplices esse spiritus, sine ullo prorsus corpore. Probabilior ergo, scribit, videtur esse sententia Augustini & reliquorum, qui sentiunt, Angelos omnes non esse prorsus & simpliciter incorporeos: quam Scholasticorum, qui eos omni prorsus corpore spoliant. Sed &, alios ut tacëam, Hugo ille Grotius, quem ceteroquin, ob restitutam nobis Juris naturalis doctrinam purgatam, sua laus maxima manet, *Annot. ad Ps. CIV. 4.* prioribus istis subscribit: *Esse Angelis corpora, dicens, sed subtilissima, non Pythagora solum & Platonis Schola sensit, sed & Judæi Veteres & Veteres Christiani. Intelligentiarum ab omni materiâ secretarum faber Aristoteles est, quem nimis πρῶτος in rebus Theologicis multi sequuntur.* Sic etiam Hobbeseus, superiori suæ sententiæ contrarius, *Leviath. Cap. 34.* scribere non dubitat: *Dico summarim, Textum in T. V. nullum esse, ex quo inferri potest, quidquam sub nomine spiritus aut Angeli significari, quod non haberet quantitatem, aut quod ab intellectu considerari non posset per partes, ita ut pars ejus una sit in uno loco, & pars proxima in proximo loco, & denique quod non sit corpus, prout corpus significat aliquid reale & alicubi existens. Neque in N. T. locus ullus invenitur, unde probari possit, Angelos res esse permanentes & simul incorporeas.* Mittimus reliquos, solos adhuc Fanaticos audituri, quorum, & recentiorum quidem, ex numero Dippelius, sub ascitio Christ: Democriti nomine famosissimus, in dem *Weg: Weiser zum verlohrenen Licht und Recht Part. II. Cap. I.* Opp. sub Titulo: *Eröffneter Weg zum Frieden mit Gott und allen Creaturen p. 754.* mentem suam ita expressit: *Wir wollen mit kurzen nur dieses sagen / daß des Aristotelis seine Intelligentiæ, und des Cartesii seine Substantia cogitans, oder der allgemeine falsche Begriff von dem Wesen eines unsterblichen Geistes / daß es alle und jede / auch die subtilste Körperlichkeit ausschliesse / die größeste Ursach zur Confusion gegeben habe / in welcher man so wol die Erkenntnuß Gottes / als der Natur verlohren hat. Nec non p. sequ.* *Selbst die freyen Geister sind nicht in ihrem Wesen von aller Materie befreyet / sondern haben einen gewissen geistlichen Leib / der ihre Wesen beschräncket / und eine geistliche Localität allerdings mit sich bringet.* Verum enim verò, qui corpora quæreremus in iis, quos expresse Scriptura spiritus vocat? Falsi sumus,

sumus, per spiritum nonnunquam, in ipsa quoque Scripturâ,
 denotari corpus quoddam subtilius; num autem exinde conclu-
 dendum, ergo & Angelos materiales res esse? Cogitandum etenim
 est, non solum eos spiritus vocari, sed & tales iisdem operationes ad-
 scribi, quales non nisi à substantiâ intelligente libereque volente,
 cuiusmodi spiritus sunt, proficisci ac peragi queant. Et DEUS est
 spiritus, *Joh. IV. 24.* An verò & illi corpus? Perinde sed erit, sive
 DEUM ipsum neges, sive materialem eum substantiam dicas. Sic
 enim non à se ipso, non infinitus, non immensus, non æternus,
 verbo: non DEUS esset. Equidem Angelos non esse ubique, cum
 creaturâ ac finitâ substantiâ sint, ultrò patet, siquidem modum
 essendi sequitur adessendi modus. At verò non ideo corpora sunt,
 in spatio suo localiter existantia atque circumscriptivè. Sunt in
 ubi definitivè, sine essentiâ extensione atque dimensione, licet in
 omnibus, aut pluribus saltem spatiis simul existere non possint.
 Ceterum, Angelos haud rarò hominibus apparuisse, absit, inficias
 eamus, cum Historia sacra exemplis quam plurimis illud testetur.
 Quod licet sine corporibus fieri non potuerit, quandoquidem po-
 tentia visiva materialis immateriale sentire nequit, vi regulâ: *poten-
 tia non excedit suum objectum*; haud tamen propria illa eorum cor-
 pora fuere constitutionem eorum ingredientia, sed aliunde assumpta,
 unione parastatica, quam dicunt, cum iisdem uniti. Spiritus
 quippe carnem & ossa non habet, edicente Discipulis suis, pro spiritu
 eum habentibus, Christo, *Luc. XXIV. 39.* Eviçto igitur, Angelos non
 phantasmata, sed substantias, easque non corporeas, sed immateri-
 ales esse, hæc eorum est natura, quod sint substantiâ spirituales, fini-
 tæ, completæ. Disservi hæctenus, CIVES HONORATISSIMI! de
 Angelorum naturâ eum in finem, ut constet, quinam & quales sint
 illi spiritus ministratorii, quorum operâ DEUS nos protegit, qui; jussu
 divino tam multa tamque insignia in nos conferunt bona. Esset,
 ut etiam de nostro erga illos officio dissererem, verùm dum plagula
 non amplius multa permittit, solorum Vos eorum, quæ benefa-
 ctoribus beneficiarii debent, officiorum admonitos velim. Plura
 haud dubie dabunt, qui sacratum curant ovile DEI Pastores, qui-
 bus monentibus audientes sitis, hortor moneoque. Quod si enim
 & DEO, Angelorum Domino, quæ DEI, & Angelis, DEI ministris,
 quæ Angelorum sunt, tribueritis, DEUM Vos Angelorum custodiâ &
 ministerio dignaturum esse, tutò confidere poteritis. Valetè!

P. P. sub Sigillo RECTOR. ACADEM.

In Festo sanctorum Angelorum.

ANNO MDCCXXII.

tem sequuti videntur. Ne verò putes, à solis illis
materiale Angelorum essentiam negatam fuisse, nec
hac à sententiâ est Zanchius *Lib. de Operib. DE* intra spa
creatis Part. I. Lib. II. cap. 3. causatus, nullam se vi
firmam, quæ evincat, Angelos simplices esse spiritus,
suis corpore. *Probabilior ergo, scribit, videtur esse sententia*
liquorum, qui sentiunt, Angelos omnes non esse prorsus
corporeos: quam Scholasticorum, qui eos omni prorsus corpo
&, alios ut taceam, Hugo ille Grotius, quem cetero
tutam nobis Juris naturalis doctrinam purgatam, sua
manet, *Annot. ad Ps. CIV. 4.* prioribus istis subscribi
corpora, dicens, sed subtilissima, non Pythagora solum & Pla
fit, sed & Judæi Veteres & Veteres Christiani. Intelligentiarum
tertiâ secretarum faber Aristoteles est, quem nimis πρῶτον
logicis multi sequuntur. Sic etiam Hobbefius, superiori
contrarius, *Leviath. Cap. 34.* scribere non dubitat:
Textum in T. V. nullum esse, ex quo inferri potest, quidquan
ritus aut Angeli significari, quod non haberet quantitatem,
tellectu considerari non posset per partes, ita ut pars ejus un
& pars proxima in proximo loco, & denique quod non sit co
pus significat aliquid reale & alicubi existens. Neque in
invenitur, unde probari possit, Angelos res esse permanente
poreas. Mittimus reliquos, solos adhuc Fanaticos auc
& recentiorum quidem, ex numero Dippelius, sub a
Democriti nomine famosissimus, in dem *Weg Wei*
nen Licht und Recht Part. II. Cap. I. Opp. sub Titulo
Weg zum Frieden mit Gott und allen Creaturen p. 75
am ita expressit: *Wir wollen mit kurzen nur dieses se*
Aristotelis seine Intelligentiæ, und des Cartesii seine St
tans, oder der allgemeine falsche Begriff von dem U
sterblichen Geistes / daß es alle und jede / auch die sub
lichkeit ausschliesse / die grösste Ursach zur Confusion
in welcher man so wol die Erkänntnuß Gottes / als der
ren hat. *Nec non p. sequ.* Selbst die freyen Geister s
rem Wesen von aller Materie befreyet / sondern haben
geistlichen Leib / der ihr Wesen beschräncket / und eine
lität allerdings mit sich bringet. Verum enim verò
quæreremus in iis, quos expresse Scriptura spiritu

